



Hoc volumen continet

1. de Necessitate Physicæ in praxi medicæ
2. Historia variolarum epidemice grassantium
3. de Frigiditate fixæ mirabili efficacia.
4. de causis caloris naturalis et præternaturalis
5. Natura morborum medicatrix mechanica.
6. Affectus hereditarii, illorumq. origo.
7. Historia febris malignæ epidemice petechizantis.
8. Animus sanitatis & morborum faber.
9. De potentia ventorum in corpore humanum
10. de mentis morbis.
11. de mercurio et Sialibz selectis
12. de præcipuo studioforum morbo.
13. Theses selectiores ex philosophia & medicis.
14. De terebinthina.
15. de regimine prægnantium.
16. de pleuritide & peripneumonia.
17. de membris fractis.
18. de pulverum permutatoriorum usu & abusu.
19. de diarrhoea in febribus malignis salutari.
20. de remedijs antidontalgicis
21. de opiatorum nova & mechanica operandi ratio.
22. de podagra retrocedente in corpus.
23. Motus optima corporis medicina. **Xc. 32.**
24. de morbo nigro Hippocratis
25. Sacchari historia naturalis & medica.
26. de peregrinationibus sanitatis causa instituendis.
27. observationes prædicæ circa febres tertianas.
28. de prudenti medicamentorum continuatione.

6
20.
19

Q. F. F. S.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
REMEDIIS
ANT-ODONTALGICIS,

quam
AUSPICE DEO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATUS
HEREDE AC RELIQUA.

Consensu Gratosissimi Medicorum Ordinis,
SUB PRAESIDIO

Viri Excellentissimi atque Experientissimi

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,
Med. Doct. ejusdemq; ac Philos. Nat. P. P. Med.
Elect. Aulici, Facult. Med. Assessoris, & h. t. Decani,
MÆCENATIS, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS
omni honoris & obsequii cultu æternum devenerandi,

PRO GRADU DOCTORIS,
Summos in Arte Medica obtinendi Honores,
Publico Eruditorum Examine submittit

JOHANNES Süße / Vratisl., Med. Baccal.
d. 29. Octob. MDCC. in auditorio majori, horis ante- & pomeridianis.

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typ.

ADICIA
ANT-OPONTALGICIS

LIBRIS MEDICINIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA



an Ma 1659

LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA
LIBRIS PRACTICIS CUM PRACTICA





PRÆFATIO.



Uibus Medicum cum Duce rei militaris perito comparare placet, meo iudicio à vero haud adeo aberrare censentur. Etenim uti talem fortitudo, constantia, astutia, vigilantia, & reliqua virtutum militarium turma condecorare solet: sic Medicum quoque verum iisdem stipatum, suum quod ornat officium, requirit.

Ambo hostem aggrediuntur, hinc ut armorum, quibus oppugnare illum cupiunt, applicationem probe noverit uterque, apprimè opus erit. Certè ridendus esset Thalassiarcha, qui muricibus, tribulis ac hastarum oblongarum mucronibus objectis, impetum classis reprimere, aut cuniculis structis vincere eandem ausit. Et copiarum ductor, qui sclopetis manuariis, sicis & rhomphæis, muros sternere aut subruere, aut equitatu mœnia superare sibi sumeret, imprudens crederetur. Idem prorsus de Medico esto iudicium, si evacuandis, ubi alterandi humores, aut alterantibus ubi evacuandi sunt, ineptè usus fuerit. Testatur id prudens *Sophoclis sententia*:

Ὁυ πρὸς ἰατρῶν σοφῶν
θεῶν ἐποδὰς προστομῶντι πῆματι.

A 2

Nov

[4]

Non est Medici sapientis

Uti cantionibus in ulcere, quod ferrum poscit.

Nec sapientis est, ulterius ego addo, Emolientia, Repellentia, Avertentia, Intercipientia, Diaphoretica, Apophlegmatizantia, Errhina, Vesicatoria, Anodyna, aut ullum aliud promiscue adhibere remedii genus, ni à morbo aut junctis simul symptomatibus id postuletur. Verissimum namque *Ovidii* manet effatum:

Temporibus medicina valet, data tempore profunt,

Et data non apto tempore multa nocent.

Hæc quo clarius pateant, ad remedia provoco Ant-Odontalgica, quæ thematis inauguralis loco publico Eru-ditorum examini sistere, mecum constitui. Varia ac diversa adeo sunt illa, ut nullum penè evacuans, alterans nullum, nullum repellens vel leniens, aut quodcunque aliud remedium in armamentario occurrat Medico, quod non pro hac etiam intentione medentibus inservire, si necessitas id urgeat, cogatur. Videbis tamen cuncta hæc arma frustra tota adhiberi die, tempore scilicet & loco inconvenienti usurpata si fuerint. Volui hinc periculum meorum in Medicina profectuum facere & genuinum remedium horum applicandi modum æque ac veram operandi rationem exhibere. Devotissimis igitur precibus, ut S. S. Trinitas labori huic ex alto clementer assistere velit, precor. A Te verò, L. B., ut æquam de labore feras sententiam, subnixè rogo.

§. I.

Fuit jam primis artis Medicæ ætatibus in usu solenni, nominum ante omnia accuratius cognoscere usum, quo res, quarum notitia acquirenda erat, faciliùs pateant. Majorum inde dum sequor vestigia, me à scopo haud aberraturum confido, si in primo statim paragrapho, de si-

* (5) *

de significato Rubricæ dissertationis sollicitus fuero. Loquitur ea remedia, ut vides, Ant-Odontalgica, quæ nunc accuratius ad examen vocanda erunt. Ea propter quod nomen attinet remedii, varius ejus apud diversos Autores est significatus, quos omnes adducere nec temporis nec chartæ permittet angustia. Satis erit indicasse, innui hac voce auxilium seu medicamentum quodvis, externum vel internum, alterans vel evacuans, ad tollendum symptoma aut morbum, aut ad præcavendum, ab imminentibus illis aptum natum. Et generalis licet sit hicce vocis significatus, Etymologiæ tamen ipsius admodum respondens, fecit, ut tam in Medicorum quam ægrorum ore familiarius versetur. Imo suppeditavit etiam Doctoribus nostris ansam, ut diversas remediorum constituerent classes, petentes cognomina vel ab operatione eorundem, vel a partibus quibus succurrunt, vel tandem a morbo, quem curant vel tollunt. Resonant hinc in nostris scholis remedia vomitoria, purgantia, stomachica Anthelmintica, Ant-Epileptica, & sic quoque Ant-Odontalgica. Alteram partem Rubricæ formans vox, natales Græcos agnoscit, & ex ἀντι contra, ὀδὸς dens, & ἄλγος dolor componitur. Ea ergo, ut paucus sim, innuit auxilia, quæ dentium succurrunt doloribus illosque curant. Germanis dicuntur: **Hülffs-Mittel gegen das Zahn Weh / oder die Zahn-Schmerzen.**

§. II.

Equidem, si firmam & plus quam osseam dentium consideres texturam, intuitu primo Odontalgicæ vox contradictionem in adjecto in volvere videtur, dolorem prædicans de corporibus, quæ ferrum & limam, ignem, quodvisque aliud secans, pungens ac saucians eludunt instrumentum. Ast, salva est res, pugnat enim à partibus meis

A 3

strenue

strenuè experientia in infinitis ægris, qui ex symptomate hoc miserè subinde decumbunt. Nec ratio deficit, quæ insigne pariter dictis addit robur. Erras enim, si totam totam dentium compagem solidissimam hanc possidere texturam credas, aliæ namque compactissimis corporibus simul insunt & adstant exquisitissimo sensu præditæ partes. Non te fugiet dentes ab Anatomicis dividi in partem extra gingivas eminentem & sub gingivis, intraque maxillarum loculos absconditam. Dabo, externam illam alimentorum comminutioni sacratam partem, ob soliditatem summam, texturamque firmissimam non esse ad sentiendum, nec ad dolorem perferendum aptam, non tamen idem de radicibus dentium, gingivarum carne circumvallatis & per gomphosin cum maxillis connexis jure pronuntiabitur.

§. III.

Cernis siquidem in iis texturam à reliquis admodum diversam, quæ ob mollitiem suam, aliam planè præ se fert faciem. Insuper sensata admodum vasa sanguifera & nervosa his inseruntur, & quod maximum est, membranâ quâdam tactu exquisito prædita, quæ alveolis maxillarum adhæret, firmiter teguntur. Hujus ergò membranæ pariter ac nervorum sanguineorumque vasorum ratione, primariò oboriri dentium dolorem, satis interdum atrocem, patet. Insuper tamen nec substantia radicum dentium ossæ à culpâ omni immunis æstimanda est, quippe quæ in primâ tenerâque ætate membranacea compage gaudet, quam nec in adultis in totum destrui subjectis, sed primitivò sensu præditam remanere judico. Id tamen ambabus largior, illam, quoad partem maximam, ab ossescente humore temporis tractu incrustari, eoque ipso maximo-pere insensatam reddi, cui asserto lucem insignem addit

Dn.

Dn. du Verney, ubi dentium generationem exponit in zodiaco Gall. à *Nicolao Blegny* in lucem emissio, P. II. p. 130.

§. IV.

Patet sic abundè nihil absurdi inesse Titulo seu Rubricæ dissertationis, cum ea firmo nitatur fundamento. Convenit ergò nunc explicare, quid membranaceis, nerveis ac vasculosis dentium partibus, dum exquisitus summusque adeo in iis excitatur dolor, accidat. ubi sciendum, durius quam par est vellicari has partes, hoc est, pungi nunc, nunc divelli, tendi, aut disrumpi, indeque inhabitantes spiritus nostros animales ad motus irregulares seu *ἀταξίαν* adigi. Ex allisione namque & repercussione hujus vitalis nostri elateris ad fibras nerveas à prædicta vellitione crispatas constrictasque, dolor ille acerbus tristisve oritur. Prout igitur vellicans hæc variat causa, spiritusque ad majorem nunc, nunc minorem disponit impetum, sic & dolorem plus minusve exquisitum & atrocem exurgere admodum est probabile.

§. V.

Talem verò causam esse necessariò admittendam, ratio pariter ac experientia dicitur. Variat enim aculeata hujus irritantis causæ textura insigniter, nec semper eandem præcisè in dente uno pluribusve attingit partem, quæ malè tractata ad præternaturales agitationes tam prompte disponat spiritus. Alias ut taceam circumstantias, quæ pro hoc stabiliendo asserto adduci possent. Unica mihi adsit experientia, quæ diversas insigniter adeo odontalgias tota die sistit. Videmus enim quosdam ægrorum per certa solum intervalla insultus sentire dolorosos eosque haud adeo graves, alios è contra sine ulla etiam levisima remissione, exquisitissimis & acerbissimis torminibus cruciari. Testem hic allego *Celsum*, qui Syncopes non
raro

raro, motus convulsivos, febres ardentes, imo delirium, aliaque graviora Symptomata ex Odontalgia enata, recenset, adeo ut miseri tales subinde penitus succumbere, & manus violentas sibi inferre observentur.

§. VI.

Omnia quo ulterius clariora fiant, causas has irritantes & vellicantes examinis subicere incudi, nunc me jubet necessitas, quæ latent primo in sanguine circulationis lege ad dentes vel plures vel unum saltem allato Quod si enim acrimonia quadam hocce labore fluidum, statim ac sensatis infigitur dentium partibus, præsto est vellicatio, & ex illa dolor. Salutari tum catarrhorum nomine solet hæc morbi causa communiter, nec male; quæ enim differentia juxta antiquorum dicendi stylum, alias assignatur catarrhis, dum quidam frigidi & calidi alii audiunt, eam & hic annotari posse distinctionem, cuivis apparet. Prout enim vel sub tegmine magis viscido pituitosove dicta latet acrimonia, vel libera ab his deprehenditur compedibus: ita nunc hoc, nunc illo jure insignitur titulo.

§. VII.

Ast uti mobilis ac vaga hæc causa est, ita nec fixi adeo exin oriuntur dolores, sic ut & nunc effectus secundum Philosophorum effata causæ respondeat. Inprimis ergo exagitata a causis externis, suam exercet tyrannidem, hincque isto solenniter tempore affligit ægros, cum solem nostram deserere atmosphæram & tristem noctis imminere faciem sentimus. Nec mirari illud potest, quoniam istis horis aer gravis factus, ob radiorum solarium absentiam, præmendo corpus, vitiatos urget ac ac trudit humores, quare etiam reliquos catarrhos ad alias partes ruentes ad crepusculum exacerbari ordinarie deprehendimus.

dimus. Differt ergo hæc causa multum ab illa, quæ altas fixasque diu egit radices, sedemque sibi circa affectum locum paravit firmissimam. Colliges id imprimis, si ex vellicatione molestiore, doloreque aliquandiu continuato, motus humorum retrogradus vel ex toto, vel ex maxima parte impediatur. Sævit namque tum majori sensus hic tristis impetu, nullamque miseri experiuntur remissionem, potius tumores & abscessus in gingivis molestos, imo cariam quandoque in maxillis infausto successu patiuntur.

§. VIII.

Causæ, quæ ut procatharticæ humorum hunc peccantium affluxum promovent, præ omnibus sunt cibi potusque errores antehac commissi. Succedit his aer ventusque impense frigidus, qualis est in specie borealis, austrinus, & qui ad crepusculum vel de nocte flans, corpus ingrato suo attactu afficit. Crispat ille fibras partium motrices ad oculum non raro, eoque ipso recursum humorum ordinarium insigniter cohibet. Insuper tamen isthanc aeris inclementiam propria etiam virtute, & ut causam proximam ad dolores dentium excitandos concurrere, haud differi possum. Quis enim nescit a frigore, qualemqualẽ etiam ejus supponamus naturam aut substantiam, fibras sensatas vexari & irritari, summa non raro cum importunitate? Mirum inde non est, si ex potu frigido aut aqua, aliove quocunque tali fluido, in ore diutius detento, dolores in dentibus gigni, in dies notemus.

§. IX.

Apparet sic, quid acrimonia frigusque in producendo dentium dolore valeant, reliquæ ergo nunc quoque ad examen vocandæ erunt causæ, quas inter flatus quoque mereri locum, partibus his incuniatos, ex innumeris venerandæ Antiquitatis scriptis video. Et licet ab omnibus

B

pene

pene recentioribus hæc rejiciatur hodie causa, tamen haud prorsus contemnendam eam puto. Latet enim humoribus nostris solenniter inclusus aer, qui rarefcere non solum potest, sed vere data occasione rarefcit, unde inflantur dubio sine cum dolore tubuli, quibus elastica hæc infarcta est substantia, indeque fit, ut consopitum haud ita pridem penitus dolorem, statim ac ægri molli incalescunt lecto, aut brevem saltem in hypocausto probe calefacto trahunt moram, denuo dolores experiantur. Ad quod comprobandum assertum produco Thermometra, in quibus aerem externum ejusque qualitates ac conditiones, internum, qui humores intra vasaque latet aerem, alterare, hoc est, expandere nunc, nunc comprimere, tota die docemur.

§. X.

Quartam jam ex causarum ordine produco classem, vermium nempe progeniem. Pariter hæc aculeatis suis rostellis pungere ac rodere dentium partes, tenera adeo textura præditas, assolet. Varia sub figura ab Autoribus hæc describuntur insecta, pediculisque planioribus similia in *Misc. N. C. Det. 1. An. 9. & 10. obs. 25.* referuntur. Frequentius tamen sub angvillarum seu lumbricum minutissimorum forma apparent, & nudum fugientes sæpe visum, non nisi microscopio armato oculo patent. Capitibus nunc nigris, nunc rubellis, pro ætatis differentia apparent, & discrepans corporis color ipsis incarnatus puta, aut albus inest. Alimenta dum sibi sumunt, proboscide aculeato, profunde partibus infixio, ad imitationem culicum aut pulicum hirudinumque id præstant. Insuper mire famelici, & foecundi maxime sunt, unde dici vix potest, quantas molestias, si sedem sibi semel illis in locis paraverint, producant. Ortum eorum Medici antiquiores putrescenti deberi

beri materiæ communiter credebant, quod *Sennertus* in sua praxi fusius exponit. Ast rectius recentiores ex ovulis horum insectorum, cum alimentis, aliove modo ad hæc loca translatis, inibique a vaporoso calore exclusis, natales eorum cum *Fr. Redi in tract. de insectis* derivant.

§. XI.

Commodum vero vermibus his dentes carioli & diffracti præbent domicilium, quas intra cavernas delitescere, suamque fortiter exercere tyrannidem tuto possunt. Insuper tamen hæc dentium cavitates aliis quoque causis sedes infaustas suppeditant, intra quas inter masticandum illapsa vel frigida, vel acida salitaque, aut quævis alia vel esculenta vel potulenta, subito dolores excitant, si inprimis ad medullium usque tetra penetraverit cavitas, utpote quo in loco nudæ membranarum ac nervorum apparent propaggines, celerrime tristia hæc symptomata admittentes. Illustre exemplum assertum hoc meum confirmans *Bartholinus in Anat. Reform. lib. IV. c. 12.* de moniali quadam recenset, quæ habens dentem præ aliis longissimum, quem cum secari curaret, statim ob nervum simul sectum, cujus manifesta in conspectum veniebant vestigia, convulsa gravissime, imprudens hoc suum factum luebat.

§. XII.

Hæc præmittere volui specialiori Ant-odontalgicorum remediorum examini. Propius igitur ad propositum accedo scopum, eorundem naturam seu operandi rationem expositurus. Siftit vero remediorum Ant-odontalgicorum numerum adeo insignem Medicorum non minus quam vulgi chorus, ut singula hoc titulo insignita tradere, merito pro absolute impossibili habeam. Veniam ergo mihi polliceor, si potiora tantum his in pagellis stitero, quorumque effectus causas Odondalgia jam no-

minatis respondet. Neque enim aliud quid meum postulat institutum, quam operandi modum a tot diversissimis remediis expectandum, luculenter tradere. Rideo itaque merito absusdisimam illorum sententiam, qui unico remedio, omnes dentium dolores, sanari posse, vano gloriantur ausu, cum extra omnem controversiam positum sit, alia ex humorum acrimonia oriundum dolorem poscere remedia, alia illum, qui flatulentæ materiæ, vel frigori aut vermibus denique ac cariei suos debet natales.

§. XIII.

Quo igitur ordine ac methodo quantum possibile distincta, rem, ut vides, difficilem, tradam, binis quasi dicenda includam capitibus, e quibus primum, quæ primariis removendis causis sunt apta, continebit, alterum vero, quæ dolori ipsi satisfaciunt, comprehendet. Sunt namque hæ binæ indicationes curativæ, quæ in Odontalgia se sistunt primariæ, & quas ut judiciosus respiciat Medicus, sublimioris judicii Practici mecum ad unum omnes jubent.

§. XIV.

Si in acrimonia igitur sanguinis causa hæreat, universa, quæ dyscrasiam hanc emendant, Ant-odontalgica dici debent. Varia vero illa acrimonia, ut notum, apparet facie, h. e. nunc acida, nunc salsa, nunc ex his mixta deprehenditur. Prima igitur si adfuerit ad Ant-acida confugies, quæ utramque hic absolvent paginam. Poteris ex his seligere Terrea, Corall. puta, lap. Canc. Off. Sepiæ, Mat. Perl. Ebur, Corn. Cerv. Ust. & Philos. præparat. vel Martialia, Limat. Martis, aut Crocos, Essentiasque ejus aperitivas. Si magis placuerint Alcalia fixa volatiliaque jungere potes, aut substituere his, sal Tartari Cent. min. Absinthii, Tincturam Tartari acrem, Spiritum Corn. Cerv.

Cerv. falis Ammoniaci &c. si vero composita potius ar-
riserint, & ea adhibere licebit. Id tamen observes moneo,
ut in larga sæpiusque reiterata dosi cuncta hæc ægris tuis
exhibeas, si imprimis abundare acidum in corpore noveris.

§. XV.

Præsente vero falsa acrimonia, quæ nunc nominavi-
mus, haud æque quadrabunt, potius tum aquea ac dilu-
entia substituenda erunt, utpote quæ discontinuant sali-
um aculeos, illosque ad ulteriorem actionem reddunt
ineptos, similiter per vias urinarias extra pomæria œco-
nomiæ animalis illa proscribunt. Haud igitur male
agunt, qui adversus hoc sanguinis vitium insuper ut speci-
fica commendant, Diuretica, quorsum refero præ aliis
Anti-scorbutica sic dicta, Nasturt. puta, Cochlear. folia
recenter germinantis Siliginis, Beccabung. sed. minus, Pi-
perit. Dracunculum esculentum, Armorat. Radic. &c. Nam
si fatendum quod res est, vix felicius virtus horum in scor-
buto explicari meo iudicio potest, quam si illa ut urinam
pellentia agere dicas. Quod si vero Tibi nec hæc suffece-
rint, Mucilaginosæ, Inviscantia & glutinosa invocabis, e
quibus Lacticinia nomino, Gummata minus acria e. g. Ma-
stiches, Gum. Arab. Junip. Tragacant. similiaque, quæ in-
volvent vellicant salium falsorum aculeos, illosque ad
ulteriorem actionem eo reddendo ineptos, Tuo ægrique
satisfacient desiderio.

§. XVI.

Hæc sunt, quæ communi Medicorum consensu acri-
monia opponuntur remedia. Veruntamen si illa Odont-
algiam producat, non omnem curæ absolvere paginam
videntur. Monitum enim est altero ab hoc paragrafo,
largam frequentemque horum adhibendam esse dosin, si
abundans sæpius enormiter sanguinis vitium corrigere ani-

mus fuerit, quod longum adeo spatium, graviores dolorum cruciatus vix permittent. Præ internis ergo his externa potius feligere, Doctores nostri jubent, immediate partibus dolentibus, pro eodem, acrimoniam nempe corrigendi scopo, applicanda. Extollunt ex his præ cæteris butyri recentis, nec adeo saliti frustulum, quod supra dentes dolentes, donec colliquescat, ponunt. Huic alii Medullam crurum vituli saccharo cantho mixtam, vel oleum commune recens aut lentisci substituunt. Aliis oleum Amygdalinum, haud ita pridem expressione elicatum, vel si hoc defecerit, lac tepidum aut quodcunque carnis pingvioris jusculum, placet. Quibus vero nec pingvia hæc arrident, illi decocta Rad. Lil. alb. Alth. Fol. Malv. Flor. Tili. Ptisan. Rap. Passar. &c. calefacta, in ore aliquandiu detenta, commendata sibi habeant. Sunt etiam qui alcalica præ aliis probant, quæ ipse mira stabilita experientia aliquando vidi. Erat mihi in itinere constituto equorum moderator, Auriga puta, quem cum acerbissimi vexarent dentium dolores, ad latus junctus socius Lixivium commune haud adeo acre ipsi commendabat. Detinere illud in ore cogebatur ingressus diversorium, & vix elapsum erat quadrantis horæ spatium, cum se ex voto restitutum clamaret. Idem hoc remedium postmodum laudatum a *Doleo* in Enciclop. Chirurgic. p. 528. annotavi.

§. XVII.

Huc referri etiam merentur, quæ ex eadem intentione temporum regioni, seu potius foveæ, quæ inter frontem & tempora media est, inunguntur. *Forestus* lib. 14. obs. 5. oleum infusum Anethi & Chamomil. pro hoc scopo mire extollit. Alii temperantia magis medicamenta, ut corpus pro balsamo s. oleum nucistæ, axungiam recentem cati sylvestris similiaque laudant. His merito etiam oleum Amygdala-

dalarum auri immiffum annumero, quod *Riverius* in *Prax.* lib. VI. c. I. magnis adeo decantat laudibus. Si operandi desideras rationem acria dubio sine falia cum fangvine ad dentes affluentia, per hæc pingvia temperantur. Procedunt enim isto in confinio ex arteriis carotidibus rami, quorum unus *Antitragum* & *Anthelicem* perreptans, ad fuperioris maxillæ dentes fertur, vid. *Diemerbrok.* Anat. lib. v. c. 13. Judicat hinc *Strobelbergerus* vix alibi quam in dentium fuperioris maxillæ doloribus, hoc in loco applicata convenire remedia. Sed huic fubfcribere afferto minime poffum, cum ex eodem trunco arteriofo pone aures, rami quoque ad inferiorem abeant maxillam, unde fangvinem dentibus inferioribus deftinatum, temperari pariter his externis poffe, non minus mihi credibile ac prius videtur.

§. XVIII.

Aff fi nimia fangvis turgeat acrimonia, his folis omnem velle hanc corrigere caufam, & irritus & inanis erit labor. De aliis itaque fimul nunc cogitare fana fuadet ratio. Eminere hic *Evacuantia* cernis facile, cum quæ abundant in corpore juxta *Majorum* dicta, evacuanda fint. Hinc fi fangvinea vafa cruore tumeant, & fimul adfit *Plethora*, venæ fectionem ex *Practicorum Celeberrimorum* juffu celebrabis. Nec follicitus nimium de loco fectionis fis, feu enim venas raninas, juxta *Valesium* & *Heurnium*, feu cephalicam aut medianam, juxta *Platerum* & *Nonnium*, feu faphænam, juxta *Thonnerum* tundas, nihil intererit. *Galeni* tamen obfervabis præceptum, qui largam femper evacuationem & plenitudini respondentem, fuadet. Habebis fic promptiffimum dolorum horum remedium, & felicem ejus effectum tuo experieris commodo. Testem Tibi *Riverium* allego, qui frequentiffima experientia afferti veritatem comprobat.

§. XIX.



Qui ex venæ sectione metuunt periculum, scarificationem cum cucurbitulis substituent, qua largam magis sanguinis copiam, minori difficultate, quam per venam tufam educi posse, observabunt. Rarum scilicet non est de sanguine ad Libræ pondus & ultra hac methodo subduci, antequam illud animadvertat æger, aut ullam exinsentiat molestiam. Nimium si id Tibi forte videtur, quotidiana pro me testimonia scias, & si rationem desideras *Wallæus* illam in methodo medend. tibi suppeditabit. Quo vero in loco illam adornes, non multum intererit, cum diversæ Autoribus & placeant & displiceant partes. Sunt qui sub mento *cum Rhase*, aut potius ipsi mento cucurbitulas applicandas statuunt. Alii *Foresti* lib. 33. c. VI. sequuntur autoritatem & maxillas sibi seligunt. *Pigreus* pro sede manus externæ partem, inter indicem & pollicem, & auriculam alio tempore commendat. Omnium tamen frequentissime in collo, scapulis, humeris, & supra genua juxta *Platerum* aliosque applicantur.

§. XX.

Accensentur equidem hæ sanguinis missiones remediis non immerito optimis, cum subito haud raro ægrorum satisfaciant desiderio. Verum non ubique fida sunt, quin sæpenumero spem nostram fallant ac eludant. Inprimis tamen si *Cacochymia* simul adfuerit, irritò hæc tentari ausu, certissimum est, cum per alia longe evacuantia ea educi amet. Commendabunt igitur se tum præ reliquis Purgantia, & quidem illa, quæ antiquis *Hydragoga* audiebant, dum stimulant fortius intestina, nec ex his solum, sed e toto corpore colliquamentum serosum educunt. Faventem habeo hic *Platerum* in sua Praxi, *Pisonem* de colluvie serosa, libr. XI, c. III. *Fabrum* in *Mycrothecio Spagyrico* libr. XI, c.

XI. c. 19 *Forestum* lib. XIV. obs. 345. aliosque plures, qui nunc Jalappæ Resinam, nunc quintam Colocynthidis essentiam, nunc alia hujus indolis Purgantia laudant, effectumque eorum non nisi felicissimum prædicant, cum rebelles ante hac Odontalgæ, horum unice usu penitus evanuerint. Alii tamen magis Clysmata purgantia laudant, nec inani id successu faciunt, cum sacra Anchora fere sint illis subjectis, quæ Pharmaca abhorrent, largam namque ut plurimum humorum pravorum copiam non minus quam purgantia, repetita præprimis si fuerint, subducunt.

§. XXI.

Et licet subinde ab his assumtis simul provocetur vomitus non tamen inde damnū aliquod est metuendum, quin potius hæc evacuatio sit perquam utilis. Etenim si ventriculus teneat saburram, mali fomitem, quod rarum non est in Praxi, maximum levamen ex laudabili hocce naturæ conatu ægro prælagire licebit. Suspiciari autem hanc poteris causam, si dolor qui non adeo vehemens antea erat, circa prandii tempus, majori acerbitate ingravescat. Annotavit vero præ aliis felicem hanc vomitus operationem *Piso*, a vulgari quodam Purgante assumpto, quod ex improvise notabilem lymphæ copiam per superiora educens, omnes non solum in momento sustulit dolores, sed effecit insuper, ut ad decem postea annos ab omni immunis dolore vixerit. Fidem inde facile crebriores *Cratonis a Crafftheim* observationes merentur, quæ *Epist. penult. lib. 4.* adducuntur, gravissimos nempe dentium dolores a vomitoriis exhibitis evanuisse sæpissime. Quibus *Riverii* quoque favet testimonium cap. 4. obs. 31. traditum, aliquando scilicet a masticata Nicotiana, vomituque inde provocato, intra duas horas gravi Odontalgia vexatum convaluisse feliciter.

C

§. XXII.

Nec minor a Diaphoreticis speranda est salus cum constet, per hæc æque ac per Cathartica seri imminui abundantiam. Ex his autem præ cæteris volatilia se commendant, utpote quæ promptius ratione texturæ suæ ad massam abeunt sanguineam, vimque simul Ant-acidam insignem possident, & quod maximum est, potentius quam terrea, aliaque fixiora stimulando, sudores quoque copiosiores provocant. Magni igitur facio *Medici cujusdam Celeberrimi* experientiam, qui pluries horum usum miraculose profuisse, retulit. Idem tamen plus ea præstitisse, adhibitis antea citatis Evacuantibus, *cum Do- leo* me simul monuit. Sed ea propter reliquis Diaphoreticis laus demi omnis haud debet, cum stupendum non raro illa quoque præstent effectum. Novi ipse lapid. Canc. cum aceto, & Corn. Cerv. cum Rob. Samb., ut Ant-Odontalgica exoptatissima se comprobasse. Alii a Theriaca sumpta, aut Pilulis Theriacæ Cælestis Greifianis idem se annotasse, referunt. Extrâ ergo controversiam competit Diaphoreticis Ant-Odontalgicorum nomen, nihilque opus habet praxeos tyro, quam ut cognoscat certo, num talis seri alluvies incusanda sit, ne cum umbra inanem suscipiat pugnam. Colliget vero eam, jubente *Riverio*, si animadvertat salivationem largam, comitem dolorum adesse perpetuum.

§. XXIII.

Huc usque cominus apertoque Marte causam aggressi sumus morbificam, contra eam in aciem adducendo, alterantium & Evacuantium remediorum turmas. Nunc igitur adversus illam, quæ intra mœnia jam jam se recepit, hoc est fixam ad dentium radices sibi paravit sedem, copias ducemus. Sequi vero, & Prudentes Belli
imitari

imitari Duces consultum erit, qui hostem obsidione dum-
cingunt, primario omnem copiarum auxiliarium adven-
tum impediunt, ut res hostium angustæ eorum citius pa-
reant armis. Dein altius penetrant, & adversarios in ca-
stris & mœniis hærentes, ut vel evocent, vel depellant,
cunctis laborant viribus.

§. XXIV.

Priori igitur inserviunt intentione remedia Aver-
tentia seu Intercipientia veteribus dicta, e quibus eminent
Apophlegmatizantia nuncupata, quæ nunc ex oris cavi-
tate, nunc ex naribus educunt serum. Priora Sputatoria
audiunt, quod lymphæ viscidæ seu Sputi excretionem pro-
moveant. Educunt illa ex glandulis oris diversis, ma-
joribus æque ac minoribus serum, quas comprimendo &
stimulando ad copiosam dictæ Lymphæ secretionem adi-
gunt. Adduci hic meretur *F. resti experimentum* Obs. 3.
lib. 14. qui Mastichen & semen Staphysagriæ in petia li-
gat, binosque tales globulos, unum post alterum ægris
dat masticandum. Huic *Plateri* observationem pag. 403.
adductam ad latus pono, qui ex Rad. Pyrethri, Angel.
sem. Staphysag. Cubebis, cum Gum. Tragacanth. rotulas
masticandas parat. Plura hic facile, quæ dentibus com-
minuta nunc, nunc in ore saltim volutata conferunt, ad-
duci possent, ni superflua ea ob chartæ angustiam cense-
am. Sicco tamen præterire non valeo pede, quæ *Lazarus*
Riverius alia inter de foliis Nicotianæ refert, si masticen-
tur nempe ea, cunctis Ant-Odontalgicis aliis palmam red-
dere dubiam, quod proprio edoctus usu, literarum mo-
numentis consignatum reliquit Cent. 4. obs. 31.

§. XXV-

Minime tamen sola horum masticatio, hanc Lym-
phæ excretionem uberiolem promovet, quin ipsa eorun-

dem textura insimul ad producendum Ptyalismum, suum quoque contribuat sybolum, quatenus tunicam oris internam ubique pungendo, subtus positis buccarum ac palati glandulis, calcar stimulumque addit, ut copiosius largiusque suum eructent serum. Perinde igitur erit sub Gargarismatum & Essentiarum, seu sub quacunque alia formula, hujus indolis exhibeas remedia cum felicem semper eorum liceat sperare effectum. Largus vero horum adeo apud Autores prostat numerus, ut sine Lectoris nausea, nomina omnium dari non possint. Brevis ergo ero, quædam solum ex illis producendo, quorum usus faustus a pluribus Practicis jactatur.

§. XXVI.

Ex Gargarismatibus igitur primum meretur locum, quod *Petrus Beyerus* de Med. hum. corp. lib. 6. p. 144. ex pulvere Diatrion Piperion, cubebis, cortice Rad. Mori, & saxifragiæ cum vino coctis parat. Huic Rad. Sambuci, vel serpillum, vel flores Lavendulæ, aut Fol. Sabinæ ac Persicariæ in aceto cocta, succedent. Miris namque hujus virtus superbit encomiis *apud Mindererum* in Med. Milit. c. X. & *Brendelium* in Cons. Med 57. Ex Infusis in Spiritu vini factis *Cunradus a Kunrath* ligni sancti ornat laudibus. *Crato a Krafftheim* rad. Pyrethri & caryophyl. aromaticorum, & *Theodorus de Bry* in introd. in vitalem Philos. semen Lentisci, de prædicant. Alii Essentias laudant Saturejæ, Thym. Calaminthæ & Zingiberis &c. Cuncta tamen hæc si consideres, non equidem inani ea niti fundamento videbis, similem tamen ab aliis etiam Aromaticis aut Aromatibus ipsis operationem quoque expectabis. Nec cum oleis destillatis aliter se res habet, vix namque ullum ex acribus sapidisque destillando paratum inveniès, quod non Practici quidam in usum vocarint.

Sennert

Sennertus Praxeos lib. XI. p. 1. pag. 266. Oleum Spicæ, Thymi, Juniperi, ligni Guajaci ac Cinamomi suadet. *Willisus* Caryophyllorum oleum, & *Claudius* Terebinthinæ & Buxi approbant. *Heredia*, *Fonsæca* & *Formius* Oleum Coryli, quod Heraclinum *Rulandus* dicit, præ aliis decantant. *Hartmannus* vero cum *Thonero* & *Mæbio*, Camphoræ Oleum omnibus præferendum judicant. Id modo circa omnem horum observes usum, ne in nimia dosi ori committantur, alias ob summam acrimoniam sensatis ejus partibus certo erunt damnosa. Erit igitur satis, guttulas solum aliquot bombaci instillare, & sic dentibus ad movere dolorosis.

§. XXVII.

Altera nunc Apophlegmatizantium sequitur classis, quæ ex naribus aufert Lympham, communiter Ptarmicorum & Erhinorum titulo ornata. Longus & horum existit apud Practicos Catalogus, quem recenserem facile, nisi id disvaderet instituti ratio, ipsaque hodie maxime cuivis nota scirem. Crevit namque hucusque usus horum adeo, ut nihil frequentius sit, quam indefinenter illis vexare nares, sic ut in conventibus Ecclesiasticis, salutationum officii, & Conviviorum apparatu, prætermissum quid æstimetur a pluribus, nisi isto quoque tempore turpem rivum mittant nares, & futilis mixturæ inspiratio, horrisono stertentis clamore prodatur. Dabo ergo & ex his solum, quæ præ aliis experta sunt. *Zapata in Clav. Med.* ejusq; commentator *Spleisus* aquam sic dictam Regin. Hung. quæ ex Rorismarini floribus cum Spiritu vini per destillationem paratur, divinis pene extollunt laudibus. *Platerus* jubet Betæ vel Anagallidis, aut Calendulæ succo, penna illito, vel Majoranæ foliis conquassatis nares irritare. Calculum addit *Petrus Borellus* obs. Med. Phys. cent. III. obs. 8. de Be-

tonica naso indita, idem affirmans, quendam namque qui gravissimos dentium diu toleraverat cruciatus, hoc ipso curatum fuisse, refert. Addi his quoque meretur *Heurnii observatio* ex lib. I. Methodo ad Praxin, qui liquore flavo, e naribus decocti Nicotianæ ope prolicito, se ipsum ab Odontalgia liberatum testatur.

§. XXVIII.

Excipiunt Apophlegmatismos Vesicatoria, quæ pariter ac illa avertendo humores, celebria evadunt Ant-Odontalgica. Parum vero vel nihil hic intererit, ex quam ea consistit materia, modo nostro satisfaciant desiderio, & pungendo fortiter cutim, serum ex illa elicatum, intra cuticulam tanquam vesicam quandam proliciant. Vera me dixisse, Autorum, quæ nunc adducam observata, probabunt. *Buscovius, Then. Rhyne & Muys* pro hac intentione Moxam seligunt Chinesium, eaque accensa vesicam inurunt ac escharam. Hujus loco cineribus candentibus, digitali inclusis, & temporibus applicatis, *Ballonius* utitur. *Fienus & Gabelchoverus* Rapas sub cineribus assatas, & adhuc ferventes usurpant. *Riverius* sal Fraxini extreme calcinatum adhibet. *Sennerto* & universo hodie Practicantium choro Cantharides probantur. Allium *Galeno, Forest* atque *Borello* placet. Aliis alia arrident. Locum quod attinet, cui affigantur, quemcunque tu seligere pro lubitu potes, cum notabilis adeo hic non notetur differentia. Suadent equidem alii, ut plantis pedum vel carpo aut manus sedi externæ, intra pollicem & indicem applicentur, Quibusdam, utpote aut intra aures, aut in illa capitis parte, qua maxilla superior inferiori connectitur, excitentur, jubent. Sub mento quondam ea adhibita, sequentes probant rythmi.

Linitam

*Linitam pastam sub mento nocte ligabis
 Pulvere Cantharidum, sic rupta pelle notabis
 Et per vesicas dentis tormenta fugabis.*

In locis igitur diversis licet adhibeas, effectum tamen eorundem sperare potes optatum, cum unus fere semper eorundem operandi modus sit. Quod si vero immediate supra Arterias, quæ ad maxillas tendunt, quodcunque etiam applicueris vesicatorium, illud non solum avertet humores, sed illos quoque intercipiet, dum subtus posita vasa, irritatione hac importuna arctat & constringit.

§. XXIX.

Clarius asserti veritatem imposita locis his adstringentia probant. Famosa ex illorum numero sunt, quæ sub Emplastrorum forma adhibentur, & pro sacra anchora Vulgo non minus quam Medicis pluribus habentur. Conflantur illa communissime ex Gum. Mastiche, Tacamahaca, Elemi, Carannæ, ac Pice Burgundica. Quæ tamen ex Consolida Maj. Gallis & Alumine, Nuce Cupressa, Rosisque rubris fiunt, non minorem merentur laudem, quibus ultimis secreti loco *Riverium* usum esse, observationes ejus loquuntur. Sunt hæc, ut facile vides, adstrictionis validæ, quoad maximam partem participes, mirum inde non erit, si affluentes humores ex voto intercipient. Ad Tempora ut plurimum, aut pone aurem unam vel utramque applicantur, unde defluentes per arterias humores quodammodo reprimuntur, quod *Strobelbergerus de dentium Podagra*, & *Platerus in praxi*, erudite satis declarant. Approbo itaque hæc, his applicata in locis, & consilio *Heurnii* præfero, qui universo capiti raso ea circumjicere jubet, cum ejus hoc consilium admodum mihi periculosum videatur, humores enim acres ad futuras & pericranium retinet & arcet, sicque sensatis maxime cerebri
 integu-

integumentis, cum quibus per futuras illa externa cohæret membrana, injuriam infert maximam, & gravissimis Symptomatis viam parat. Nec semper cosultum erit maxillis ea applicare, quod consilium aliis probatur Practicis horum enim ope humores ad fauces repulso, ægrum aliquando suffocasse *Valescus de Taranta* & *Riverius* observarunt.

§. XXX.

Sinistram hanc quam modo adstringentia inepte adhibita tulerunt censuram, eam quoque quæ intra aures pro scopo Ant-Odontalgico immittuntur remedia, mereri videntur. Seligunt vero locum hunc non pauci Practicorum, illumque præ aliis cunctis aptissimum, cui adhibeantur remedia, judicant. Et quidem si Anatomicam hic in auxilium vocites scientiam, non inani assertum niti fundamento prima fronte censebis. Apparent enim primo hic Arteriolæ, quæ has ante perreptant partes, quam nutrimentum dentibus adferant, unde immediate in illorum contenta h. e. sanguinem agi posse, rectissime colligitur. Accedit secundo, glandulosam internam aurium tunicam horum beneficio irritari, & ad copiosius reddendum serum eo disponi posse. Tandem totius corporis excalescentia, ex his irritatis locis, suboritur, unde produci maximam in humoribus æque ac Spiritibus agitationem, rursus non male argumentatur *Riverius*. Verum his non obstantibus, meo iudicio, summa requiritur circumspectio in eorum usu, s. adhibeatur acetum Simplex, aut fumus ejus, in quo Pulegium aut origanum cocta sunt, aut allii bulbus ejusque succus, quæ modo citatus *Riverius* probat, aut succus Rutæ, Hederæ terrestris, Radicis Asphodali, *juxta Johannem Anglicum*, vel Oleum Amygdalinum cum cœpis, Euphorbio & Castoreo infusum, ex
com-

commendatione *Heurnii*, seu *Petrofelini* succus cum granis 4. Piperis conditus, vel *Bursa Pastoris* contusa, aut tandem aqua simplex piperata, *qua a Dygbaeo, Borello & Wedelio* laudantur. Universa enim hæc ob acredinem quam secum habent, adstantes membranas & nervosas expansiones, principio nervi Acustici proximas, facile irritare possunt, unde Otalgis periculosissimis, motibusque convulsivis universalibus infaustæ dabuntur ansæ.

§. XXXI.

Vides sic, adhibita hæc in capite intercipientia remedia, ancipitis, ni cautissime procedas, esse aleæ, aliis ergo remotioribus partibus ea sunt applicanda tutius. Pertinent huc fortiores ac dolorosæ artuum ligaturæ, *quas Sennertus* lib. XI. part. I. c. XI. p. m. 265. utilissimas dicit. Operandi si desideras rationem, comprimuntur illarum ope venæ, adeoque sanguinis retrogradus motus aliquandiu impeditur, unde copia ejus ad caput æque ac dentes alias abitura, imminuitur, quod ipsum sufficit subinde nostroque satisfacit desiderio. Et hac aliquali sanguinis suppressione esse possumus contenti, cum omnem extoto intercipere velle affluxum, absurdissimum omnino sit. Minime hinc approbo arteriarum, quæ ad dentes pertingunt, sectionem, licet *Scultetus in Arment.* Chirurgico obs. 38. magni eandem faciat. Certe, quid nutrire posthac dentes debeat si vasa hæc nutrimentum advehentia dissecentur penitus, nec videre nec imaginari mihi possum. Idem quoque de ambustione arteriarum harum *a Paræo* laudata judico, his enim qui suis prospicere ægris conatur, in scyllam incidit, dum Charybdim vitare cupit. Hæc de Intercipientibus.

§. XXXII.

Ordo nunc jubet, ut ea quoque remedia, quæ incu-

D

vel

vel expellunt; recenseam. Prius impetrabitur emollientibus sic dictis quæ vel in ore detinere, vel buccis vicinisque imponere partibus decet. Pro hac Tibi intentione lac tepidum vel solitarie, vel cum Malva, Meliloto, Chamomom. Samb. Pariet. Branc. Ursin. Rad. lil. alb. Liquiritiæ, Sem. Lini, fœn. Græc. &c. decoctum, inserviet. Si displicent epithemata, cum medulla panis similaginei aut bis cocto pane in cataplasma formabis hæc universa emollientia, aut pulvem ex Ptisana, vel ex farina Fabarum cum aqua factum, calide, pro eadem applicare intentione, integrum Tibi erit. Imo juxta *Forestum* in scholiis ad observationem quintam lib. 14. Oleum Chamom. vel Anethinum cum lana admotum alio tempore Tuo desiderio faciet fatis. Operari vero hæc cuncta calore pariter ac vi obtundendi acrimoniam palam est, adeo, ut spasmi, a quibus egressus materiæ antea impediabatur, posthac feliciter ab his relaxentur. Insuper vero hoc accidit, ut emollientione hac spasmis antehac correptarum fibrarum adstantium, humoribus peccantibus, jam jam e sedibus suis a calore pulsus, eo ipso commodissimum exstruatur diverticulum, cui inhærere aliquandiu possint. Mitius hinc meliusque incipit solenniter esse Odontalgia correptis, si gingivæ aut genæ, seu sponte id fiat, seu arte, spectabili inflentur tumore, nam quæ dentibus antea molesta erat materia ad externas nunc transferri partes, patet ad oculum.

§. XXXIII.

Rebelle si fuerit malum, & blandis his non aucultat remediis, alia potentiora magis implorata juvabunt, nempe Dissipantia dicta, quæ materiam nimis spissam discontinuant partim, partim fibras, quarum interstitiis infarcitur, ad ejiciendum hospitem hunc importunum stimulant. Eminent ex horum numero primo Diaphoretica, quæ fu-
sius

suis supra parag. 22. licet ob alium, nempe evacuandi effectum exposui. Secundum locum merentur Vomitoria, quæ pariter paragrapho 21. jam jam adduxi. Concutiunt autem hæc ultimo nominata vehementer totum adeo corpus, ut in remotioribus etiam partibus sæpe referantur obstructions v. g. uteri, Hæmorrhoidum &c. Quare mirari non debet, si ad dentes factum humorum decubitum, his quoque feliciter dissipari videas, quod ipsum ante hæc jam jam docui fusius.

§. XXXIV.

Nunc sequuntur Repellentia. Novi equidem Recentioribus quibusdam in totum negari hæc remedia, quoniam cum circulari sanguinis motu non bene conveniat eorum effectus. Sed cur non stante etiam hæc doctrina, repellentibus inter remedia maneat locus, me fugit; imprimis si illis adhibeantur in casibus, ubi intra partium poros relaxatos ac extensos nimium, humorum hæreat copia. Dantur ergo remedia, quicquid etiam alii in contrarium dixerint, quæ infixum firmiter humorem ejiciunt ac repellunt, præstantque id vel Adstringendo vel Refrigerando. Inter Adstringentia primum meretur locum acetum simplex, quod Galenus diu extulit, non minus ac Strobelbergerus, sed cum Radice Tormentil. aut Gallis decoctum, cui ad latus etiam jungunt Ros. rubr. Cupressi, & Myrti fol. decoctum in vino factum. Agricola & Bartholinus solutionem Aluminis, aut aquam simplicem sufficienter cum Spiritu Vitrioli acidulatam, commendant. Aliis eadem remedia, sub aliis tamen arrident formulis. Sunt quibus suffitus placent, ita ut per infundibulum ad dentes mittant fumum, Tacamahacæ, Olibani, Mastiches Gum. Elem. Animæ ac Succini &c. aut linteis solum eum excipiant & posthac genis applicent. Quidam in formam unguenti hæc reducunt & gingivis imponunt,

ponunt, quæ formula *Bartbol.* in *Historiis* c. v. obs. §. 4. arridet, quitale ex alumine usto, nucem oschata & melle parat. Hæc de Adstringentibus. Quæ nunc sequuntur Refrigerantia, pariter experimentis nituntur pluribus. Testem hic *Johannem Hieronymum Pulverium* allego, qui aqua cum nive mixta, summos dentium dolores in pluribus se sanasse refert. Calculum huic *Zacutus Lusitanus* obs. 80. lib. 1. addit, militem, cui innumera antea, sed in cassum adhibita erant remedia, nive demum fortuito in ore detenta miraculose restitutum allegans. Quibus hæc ut vulgaria minus arrident, ex *Rosenbergio Rhodolgia* p. 333. Albumen ovicum aqua rosarum conquassatum sumant, illudque nunc cum stупpa Cannabina buccæ dolenti imponant, aut si placuerit, in ore detineant.

§. XXXV.

Si nimia humoribus insit crassities, aut diutius stagnando ad suppurationem peccans pervenerit materia, nullus erit omnium horum usus, imo augendo dolores plus nocebunt quam juvabunt. Satius ergo tunc erit ea applicasse, quæ hos emolliunt ac rumpunt tumores. Fusius supra de Emollientibus jam dictum, nunc ergo ruptioni abscessus inservientia dabo remedia. Meminit *Borellus* cap. 1. obs. 86. aliquando dentium dolorem catarrhofum, ob pluvias immodicas, populariter fuisse grassatum, omnesque, qui ficum inversum gingivis admoverant, breviter fuisse restitutos, ad maturitatem scilicet gingivarum tumore deducto. Plura huic sacrata intentioni mittam nunc, & bina saltem de gingivarum tunica verba addam, quæ haud raro nimis existit crassa, adeoque non prompte adeo rumpi se patitur abscessus, quin aliquot sæpe prætereant dies, antequam ægrotantes miseri, voti reddantur compotes, quod ipsum quoque, si pus nimia laboret spissitudine, experieris. Tali igitur in casu, cum remedia nobis deficient, quæ

quæ prompte adeo emollire & rumpere hæc integumenta possunt, Chirurgica in auxilium vocanda instrumenta veniunt, quibus in momento ac scinditur tumor, via materiæ paratur purulentæ, dolorque simul omnis abigitur.

§. XXXVI.

Sed satis tandem sit dictum de Remediis humorum acrimoniæ destinatis, quorum dum crevit præter intentionem enarratio, in reliquis brevior me esse deceet. Si igitur frigus Odontalgiam pariat, primum in Thermancticis quærendum erit solatium, quorum binæ se iterum sistunt classes, potentialia nimirum & actualia. Potentialia sunt, quæ acri ac mordaci sua textura, tam vellicando sensatas solidas partes, quam exagitando sanguinem æque ac spiritus, calorem in corpore nostro augent. Refero huc Aromatica aliaque acria, quorum apparatus supra §. 26. abunde exposui. Pertinent etiam ad hanc classem vinum generosum, & vini Spiritus, modo simplex, modo ab aromatibus abstractus aut Camphoratus, quorum omnium vim Ant-Odontalgicam insignem infinita experimenta probant, licet modus applicandi diversus sit. Nunc enim Practici jubent, ut ipsis os eluatur, aut supra dentes dolentes detineantur, vel externe saltem cum linteis, buccis, ubi dolor est, imponantur. Thermantica actualia, utpote magis familiaria frequentius quoque experta sunt. Vulgatisimum est, sacculis calidis, Flor. Chamomil. & Samb. infarctis, aut linteo quadruplicato calefacto, loco dolenti applicato, dentium pellere dolores.

§. XXXVII.

Si flatulenta in culpa fuerit materia, Resolventia & Carminativa omnem absolvent curæ paginam, adeoque enim virtus ultimorum in acrimonia quadam aromatica lateat, de illis vero alibi jam sit dictum, omittere eorum

nomina cogor, ne crambe toties recocta nausea moveatur. Pergo hinc ad alia, quibus pariter vim flatus dissipandi non contemnendam inesse, quotidiana loquitur praxis. Innuo hic Calefacientia sic dicta, quibus obex, elasticae huic substantiae contrastans, spasmus puta, ex voto aufertur. Nec Te terreat, si ad initium curae, ad calida haec applicata pessime se habeant aegri, modo enim aliquandiu continentur illa, raro Medicum deserent. Ratio hujus phaenomeni est, quod ad initium magis expandantur flatulentae partes a calore externo, si vero quis diutius ea applicare non grave ferat, tandem cessante fibrarum crispatura optatus sequitur effectus.

§. XXXVIII.

Nunc ad illa devenio Ant-Odontalgica, quibus vermium progenies, dentium rodens membranas debellari potest. Agmen ex his dulcia ducunt, quibus adeo delectantur haec insecta, ut ex suis haud raro latibulis prompte prorepent. Eminent inter illa mel, quod *Pechlinus in Misc. N. C. Dec. 1. anno 9. & 10.* ut specificum Ant-Odontalgicum allegat. Huc quoque mucus in Pyloro ventriculi haerens, pertinet, quem foemina quaedam denti applicans dolenti, mire in evocandis his insectis proficuum annotavit. Testem si asserti desideras, *Johannem Buugium* adire poteris, qui in eodem citato Ephemeridum anno pag, 435. seqq. fusius hanc Historiam exponit. Nec alia operandi ratio sevo inesse cervino videtur, quod liquefactum linteoque exceptum vermes elicere, a rustico quodam Medicaastro *Bartholinus* Historia 96. cap. 3. se didicisse refert. His in cassum usurpatis ad amara fiat progressus. Commendabunt se tum Absynth. Tanacet Sab. Cort. Frax. Fructus Halicacabi, Myrrha ac Aloes, & exin paratae pestilentiales Ruffi pilulae. Plura de hac materia

teria

teria si scire aveas, adibis *Riverium*, *Sennertum*, *Solenan-*
drum Cratonem a Krafftheim & Misc. N. C. Dec. II. anno VI.
§. XXXIX.

Adduci insuper adversus vermes semen Hyosciami
tanquam remedium a tot Medicis decantatum, debet,
quod sub forma suffumigii ad dentes mittitur. Constat
namque vermes haud ferre salia volatilia, quæ tamen ex
accenso hoc semine, & ex cunctis forsan aliis vegetabili-
bus, si in usum hac methodo traherentur, inter defla-
grandum copiosissime exsurgunt, prout ad oculum fuligi-
nis analysis chymica id demonstrat. Non audiendus ita-
que est *Hollerius*, qui ex hoc Hyosciami seminis fumo in
momento vermes generari docet, fallaciam non causæ
ut causæ subesse putans, si vermes ab ipso evocentur. Certe
nunquã talis imaginari potest vivi animalis generatio ex fu-
mo scilicet aut flamma, nisi forsan ex fabulosa *Pyraustarum*
aut *Phœnicis* avis familia istos quoque credideris vermi-
culos. Reliqua quæ prostant Anthelmintica, & ex his Mer-
curialia in specie, in Odontalgia ut minus tuta, rejicio
penitus, cum nunquam metallum hoc, nec membranæ,
nec dentium nervi impune ferant.

XL.

Super est adhuc ex Odontalgiaë causis dentium cari-
es seu erosio consideranda. Concedit illa uti jam moni-
tum humoribus acribus, aeri puta frigidiori vermibus-
que, & inprimis alimentorum reliquiis, ad interioris den-
tium sensatas partes aditum. Ere itaque nunc erit, ut il-
lapsa peregrina corpora quanto citius extrahantur, aut si
sordes aut reliquiæ alimentorum mucaginosaë adsint, stu-
diose abstergantur. Quod si vero frigus subintraverit, ca-
lescentibus, & si infensa vermium adfuerit præsentia,
Anthelminticis prospicies. Cedere sic dolorem, & in illo
sapi-

sæpius momento ac causæ tolluntur, sed redire quoque celeritate simili, quamdiu porta causis istis patens fuerit, tibi annotare licebit. Recte ergo agunt, qui hunc aditum infaustum obstruunt, nuc cera alba sola, aut Mastiche vel thure mixta, quibus alii pro consistentia magis firma concilianda, corallia rubra, stannum vel aurum bracteatum, Gum. Laccaë aliaque admiscunt. Plura qui pro hoc desiderat scopo, ea apud *Rondelet. in Prax. libr. 1. c. 83. Sennert. part. 1. libr. 2. p. m. 262. & Willisium* inveniet.

§. XLI.

Sunt autem, ut vides, hæc ipsa tantum præservatoria remedia, ipsa caries namque jam nata, manet prorsus intacta; quare alio obviam ire remediorum apparatu malo huic, necessum omnino habes. Equidem illuc quodammodo respexisse videntur, qui modo indicatis pro scopo obturandi & obstruendi dentium cavernas adhibitis, jungunt Myrrham, Aloen ac Asphaltum, Gummata scilicet illa pro balsamandis cadaveribus olim usitata; vel ad imitationem *Dolei in Encyclopædia Chirurg. pag 529.* alumen & sal fossile cum melle subacta cavernis immittunt. Verum intentio horum licet optima sit, raro tamen respondentem habet effectum, quin potius Caries hæc ipsa eludat ac penitus spernat. Eapropter magis illorum arriident consilia, qui ad Cauteria confugiunt Potentialia non minus quam Actualia. Potentialium nomine veniunt, quæ caustica sua textura rodunt emortuas in dente partes, easque a sanis separant ac auferunt. Tale est Helleboraster seu veratrum nigrum, ex commendatione *Riverii*, vel decoctum radicis Lapathi acuti, quinquefolii ac lentisci cum aceto, vid. *Forestus lib. 13. obs. 6. in scholiis.* Irritus si & horum fuerit usus ad aquam fortem & regiam, spiritusque mineralium acidos, Nitri puta, salis, sulphuris & vitrioli, ejus-

ejusque oleum confugies, instillando erosus cavernis nunc guttam unam vel alteram, aut si acor forsan nimius Tibi fuerit suspectus, mixtos hos Spiritus cum saccharo vel melle simplici aut rosato applicabis. Præeuntes habes *Cratonem a Krassheim, Montanum, Rulandum, Quercetanum, Riverium, Fabricium Hildanum & Rondelecium*, qui ad unum omnes egregios horum effectus celebrant. Nec sine ratione hæc adhibita esse tibi persuasum sit, habent enim cuncta vim corrodendi in se maximam, unde cariem castigant, dentesque ab illa feliciter liberant. Insuper ipsas sensiles partes, quæ intra dentium cavernas denudatæ prius jacebant, corrodunt penitus & destruunt, unde immediate ab usu eorum magis exacerbantur nunquam non dolores, hoc vero superato insultu, consopiantur penitus accessant, quod vulgus exprimit: *Das remedium heist den Zahn zu Tode.* Circa applicationem horum unicum id observabis adhuc, ne gingivæ aut dentium radices causticis his simul tangantur; quare proxime adstantia loca cera aut emplastro quodam accurate tegere consultum erit.

§. XLII.

Sed præ cauteriis Potentialibus Actualia commendantur ab aliis. Olim jam *Hippocrates* de loc. affect. num. 5. & *Rhases* ferrum candens extulerunt. *Gariopontus* cupreum commendat clavum, quod ipsum tamen a nullo alio hucusque imitatum vidi. *Fonsæca* Tom. 1. Consult. 46. stilum aureum & argenteum ignitum suadet. At *Sennertus* & *Hollerius* contrariam ex asse tuentur sententiam, hæcque cauteria penitus damnant, urgentes exquisitum nervorum sensum, & ex eorum irritatione adeo importuna metuentiam cerebri ac nervorum irritationem infaustam. Verum hoc quod sibi imaginantur periculum, tanti non est, quippe effectum ferri candentis felicem innumera Practicorum

E

testi-

testimonia narrant, statimque ab ambustione omnem cari-
 riem simulque dolorem cessasse. Observabis tamen, ut
 hoc dentibus adhibeas remedium, statim ac nasci cariem
 videas, si enim jam jam ad radices usque penetraverit ma-
 lum, voti vix fies compos, juxta Pœtam enim.

Sero Medicina paratur,

Cum mala per longas invaluerit moras:

Conf. pluribus de hac materia *Severinus in Med. effic. pag.*
 296. Cæterum monendus est æger, ut operationis tempo-
 re, ab aeris inspiratione absteineat totus, dici enim vix po-
 test, quam insignis fauces ad suffocationem usque irritans
 fœtor, ex ambustione putridi dentis exurgat. Chirurghi
 vero de officio erit, ut inter operandum pedem suum pa-
 tientis supponat pedi, ut premere illum, eoque signum
 dare possit hic, si alias forsan, vicinasque simul amburat
 partes, aut profunde nimium cauterium immittat. Voci-
 feratione namque aut alio motu vel manuum aliarumq;
 partium corporis indicare dolorem illatum sine periculo
 enormis ambustionis gingivarum aut buccarum nequit.

§. XLIII.

Ast si nec hæc Tibi arriserit operatio Chirurgica, u-
 nica dentis evulsio manu Dentifrangibuli expectanda ad-
 huc superest, quæ nunc ope Pelicani, nunc Pedis Caprini,
 nunc rostri corvini, (his enim nominibus diversa sua
 instrumenta salutare solet hoc genus hominum) fit. Ob-
 servandæ tamen hæ sunt Dentario-Chirurgo cautelæ, 1. ne
 ingravidis hanc temerarie administret operationem, ad-
 monitus a *Salmutho*, qui refert, aliquando gravidam quan-
 dam, ocularem dentem sibi extrahi passam, paulo post
 fœtum fuisse enixum sinistro destitutum oculo. 2. Obser-
 vet, ne in ætate confectis eam moliatur, senem enim su-
 bito & inter operandum in foro publico inde extinctum
 esse,



esse, *Forestus* indicat. 3. Caveat, ne dens eo tempore, quo fluxio ruit ad locum affectum evellatur: Nec 4. violenter aut affatim trahat dentem, firmitus si iste mandibulis connexus fuerit, cum constet aliquando ex impetu tali cerebrum fuisse commotum, febremque excitatam periculosissimam, alioque tempore ossis maxillæ fracturam, pluraque alia gravissima æque ac periculosissima symptomata inde fuisse nata. 5. Attendat, ut dente evulso, gingivarum adstans caro, digitis undiquaque comprimatur, & os ægri aceto vel vino austero eluatur. 6. Tandem prospiciat sedulo, ut omnem aeris frigidioris ad locum illum accessum, studiose arceat.

§. XLIV.

Multum præfero Chirurgicum hunc dentes extirpandi modum illis remediis, quæ solum imposita aut admota dentes extrahere dicuntur. Laudat hunc in finem *Ælianus* radic. Lappæ, vermiumque terrestrium impositos cineres. *Libavius* grana Mastiches & Thuris commendat. *Ephemerides German.* Decur. II. anno II. pag. 373. fumum Tabaci admissum extollunt. Verum, si fatendum quod res, mitiora hæc vix, ut dentes cadant, facere solent. Alii proinde acriora magis merito implorant. Miris laudibus extollit *Riverius* Lac Ficulneum aut Tithimalinum foliaque Helleborastri, & rad. Ranunculi. *Joel* Gum. Ammoniac. & Galbanum in succo Esulæ coctum sva- det. Pastinacam cum Helleboro albo, *Plinius*, & radicem Pyrethri in aceto maceratam *Galenus* laudant. Cuncta vero hæc, ut ut prorsus negari eorum nequeat efficacia, merito tamen ex rationibus, tertio ab hoc §. allegatis, mihi redduntur suspecta.

§. XLV.

Hucusque remedia causis Odontalgia primariis fa-

crata exposui, nunc illa, quæ dolori satisfaciunt, etiam in
apricum ponendâ sunt. Poscit illud lex mihi ipsimet §. 13.
imposita, quo secundæ quoque indicationi in Odontalgia
fiat satis. Vocantur hæc Anodyna seu Paregorica, & Spi-
ritibus a dolore exagitatis, motum eorum sufflaminando,
vel ut aliis loqui placet, eos ligando, succurrunt. Eminent
ex his Opium & inde parata, quibus ex Hyosciami radice
aut semine confecta, & papaverina quævis succedunt, quæ
simili, mitiori tamen sedativa vi gaudent. Optima sane
& divina fere, si judiciose adhibeantur, hæc sunt remedia,
doloresque, qui per longa jam temporis spatia, ad rabi-
em & extrema quævis deduxerant ægros, post breve tem-
pus mitigant, concilians simul placidum diuque deside-
ratum ab ægro somnum.

§. XLVI.

Modus applicandi illa variat, nunc enim externe, nunc
interne solum adhibentur. Externe Opium crudum cale-
factum ita, ut ceræ ad instar mollescat, *Montagnana* consil. 87.
denti dolenti circumponit. *Bartholinus* cist. Med. loco 31.
Pilulas de Philonio Romano, loco affecto adhibet, quibus
si haud suffecerint, granum i. Opii *Platerus* adjicit. *Rive-
rio* linimentum ex Opio Myrrha & Ladano factum, addita
sufficiente vini albi quantitate, arridet. Interne Lauda-
num vel liquidum vel solidum, aut Theriaca, imprimis
Cœlestis dicta, aut Pilulæ de Cynoglossa sufficient. Ob-
servetur tamen ne Dosis sit nimia, inde enim indolentia
perpetua, h. e. mors excitari potest, qualia tristissima Ex-
empla *Alex. Bened.* libr. 6. c. 13. *Zacutus Lusitanus* Prax. ad-
mirand. lib, 5. c. 86. recensent. Aliud adhuc monitum ad-
jicit *Riverius*, scilicet, ne opiata nisi fluxione ad dentes
jam jam sedata, exhibeantur. Sed hæc tanti non est cau-
tela, cum ipsas has fluxiones opiatis hodie cohibere usi-
tatis-

tatissimum sit. Una ergo fidelia duos dealbabis parietes feliciter, si prudens modo fueris.

§. XLVII.

Sed nec his semper stupefacientibus indiges, cum adhuc alio duplici modo fieri hic possit dolor, nempe vel per dolorem seu sensum tristem in alia parte excitatum, vel per imaginationes. Ex primo capite vesicatoria, item rubificantia, frictiones dolorosa ac caesiones extremarum partium cum urticis, aut ambustiones per Moxam Sinenfium aliasque res combustibiles, merentur laudem. Invi- tantur namque alliciunturque Spiritus, statim ac dolor ab his excitatur remediis, ad laesum locum, & quidem saepe tanta copia, tantoque impetu illuc feruntur, ut ulterius circa dentes sensum tristem dijudicare relictæ copiae insufficientes sint, cumque toties hæc ipsa a quamplurimis Medicis salubria fuerint visa, dubitari ulterius de felici eorum experientia non debet. Confer observationes supra de vesicatoriorum usu adductas.

§. XLVIII.

Ex altero capite dolorem demulcere solent, universa, quæ sentiendi principio alias imprimunt ideas. Aver- tunt ista similiter ac modo dictum spiritus, eoque ipso, ut nec ulterius sentiant accurate, aut priorem dijudicent molestiam, efficiunt. Novum non est in Medicina gravi- oribus animi commotionibus, atrocissimos omnis gene- ris mitigari dolores, & tota hinc die, curæ morborum plurium unice fiducia in medicamentum aut Medicum fi- unt. Fidem namque si adhibuerit æger pollicitationibus & persuasionibus, mox salva res erit. Hinc in tali casu vix quicquam adeo absurdi excogitari potest, quod non sta- tim Ant Odontalgicum fiat egregium. Hæc ne sine fir- mis Doctorum loqui videar testimoniis, præsto sint uni-

versa illa, quæ antiquis proprietate occulta agere dicebantur. Excellit inter illa os brachii vel tibiæ Bufonis, quod solo attactu omnem dentium compescere dolorem, *Helmontius* tract. demens idea, perhibet. Sic juxta *Aetium*, *Rhasem*, *Forestum*, *Dygbæum*, *Hartmannum* & alios, dolens dens curabitur, hominis mortui si tangatur dente. Ex eodem fundamento ungula avis, quæ vulgo *Kohr Drommel* audit, dentiscalpii loco adhibita, sensum tristem sedat. *Dolaus* canis violenter interemti dentem, vel *Hyenæ* extollit. Alii Dentiscalpium ferreum, Magnete prius aliquoties tactum, aut ligneam festucam ex Sambuci, aut quercino ligno fulminis vi ab arbore decussam, aut de Patibuli trabe abscissam laudant, *vid. strobilbergerus de dentium Podagra.*

§. XLIX.

Hæc Phantasiæ seu fiducia operatio se quoque in amuletis exerit. Commendat, ut Ant-Odontalgicum singulare Hominis demortui dentem, de collo suspensum *Goclenius* de mirabilibus naturæ. Talpæ dentes a *Caspere Jungelio*, lupi a *Macasio*, & equi a *Sexto Platónico* laudantur. Sargi piscis & Rhinocerotis arma, *Gesnerus* magni facit. Alii cum *Camerario* Molybdenæ frustum carpis alligant, vel Cervinum aut Picæ rostrum cum *Porta* appensum suadent. Qui *Dioscoridis*, *Schræderi* & *Heurnii* tuenter auctoritatem, Lepidii radicem & gramen trium nodorum, vel corallam ex coralliis factam gestare jubent. His merito *Sylvatici* annecto experimentum, quod *obs. 2. cent. 2.* adducit, referens, gentem Farnesianam, parvam quandã ferream possidere laminã, qua si infernæ aurium extremitates ad incalescentiam usq; fricentur, certo & infallibiliter incessare Odontalgiam. Alia nunc inscripta nempe membranæ carmina, aut characteres secum gestatos taceam, cum temporis

poris & chartæ rationem habere cogar. Veniæ vero locum mihi futurum polliceor, quod ex dicta hac solum ratione operari talia externe adhibita credam, si enim hoc meum displiceat effatum, permittant quaeso aliter sentientes, ut ingenue fatear, nullam me prorsus aliam eorum operandi rationem comprehendere posse. Nam quæ de Anti- & Sympathiis loquuntur, præter pomposa ac grandifona verba nihil plane, quod effectum exponat aut declaret, suppeditant. Parum hinc abest, quin sympathetica remedia universa, quæ vim quandoque possident Ant-Odontalgicam, ex hoc unice agere capite, pronuntiem.

§.L.

Finio hic, & ad S. S. Trinitatem, in cuius nomine initium feci, revertor. Devotas ergo huic pia mente persolvo grates, quod his meis meditationibus finem imponere felicem siverit. Adsit, precor, Illa gratia sua ulterius studiis meis, ut quam primario nominis sui intendo gloriam, postmodumque proximi salutem feliciter consequar. A Te vero L. B. si non cuncta Tuum fuerint ad palatum, submissam peto veniam.

Quod potui feci, Superis sint cætera cura.

F I N I S



DISSERTATIO (IN) MATHEMATICA MEDICA

OPTICA

MECHANICA OPTICA

DI RABONE

FRIDERICUS WILHELMUS


FRIDERICUS HOFMANNUS

PROFESSOR

JACOBUS BESCAYUS

HALL & MAERZ







Ua 1659

ULB Halle 3
004 187 067




Faint handwritten text
Sb,
Nur für den Lesesaal

Retros V

1007







DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
REMEDIIIS
ANT-ODONTALGICIS.

quam
AUSPICE DEO,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATUS
HEREDE AC RELIQUA.

Consensu Gratosissimi Medicorum Ordinis,
SUB PRAESIDIO

Viri Excellentissimi atque Experientissimi

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,
Med. Doct. ejusdemq; ac Philos. Nat. P. P. Med.

Elect. Aulici, Facult. Med. Assessoris, & h. t. Decani,
MÆCENATIS, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS
omni honoris & obsequii cultu aeternum devenerandi,

PRO GRADU DOCTORIS,
Summos in Arte Medica obtinendi Honores,
Publico Eruditorum Examine submittit

JOHANNES SÜßE / Vratisl., Med. Baccal.
d. 29. Octob. MDCC. in auditorio majori, horis ante- & pomeridianis.

Typis CHRISTOPH. ANDRAE ZEITLERI, Acad. Typ.